

§. III.

Nouennium ad Congregationes Generales quomodo computandum.

52 Constitutionis verba sunt: Congregatio Generalis in predicta Societate singulo quoque nouennio, computando semper a celebratione ultimae Congregationis Generalis, haberi, & celebrari omnino debeat. Circa quod

Assertio 1. computacionem nouennij a fine celebrationis faciendam.

Computacio fit ab actu perfectio.

Bona pro eo exempla.

Ex conditione prepositionum A, & Ab, qua sunt termini exclusiue, vrgetur.

Assertio 2. aliquo saltem die de nouennio sumendum.

Assertio 3. conueniens, & sine controuersis computatio.

Dico primò. Satis verosimile videtur computationem fieri posse a fine celebratæ ultimæ Congregationis. Id probor quia dicta verba sine vlla improprietate ita intelligi & explicari possunt: & alioqui, cum dispositio odiosa sit iuxta dicta §. precedent. ita sunt interpretanda, vt Societas minus grauetur ratione illorum; cum tamen grauari certum sit huiusmodi temporis taxatione. Omnia constant præter id, quod de proprietate intelligentiæ est dictum, & illud probor. Nam cum terminus ab aliquo actu desumendus est, ille debet esse perfectus: quod tenent Doctores quamplures, quos adducit Marienzus in Lib. 5. Recopilat. L. 7. Titul. 1. Glossa 6. num. 3. & sequ. Ex quorum doctrinâ habetur tempus, qui retractui conceditur, scilicet nouem dierum, non currere a die celebrati contractus venditionis, sed a die traditionis, quia tunc ille perfectus est. Annum item, qui conceditur, vt adeptus Beneficium Parochiale ad sacros Ordines promoueri debeat, non currere a die Collationis, sed adeptæ possessionis, habetur in Cap. Commissa, de electione in 6. & similia alia adducit Tiraquellus Lib. 1. de retractu. §. 1. Glossa 10. num. 36. & 37. Cum ergo pro termino, a quo currere nouennium debeat, assignetur celebratio ultimæ Congregationis, & hæc vsque ad illius conclusionem perfecta non sit, non debet tempus nisi a conclusione ipsa computari.

53 Præterea; quia præpositiones A, & Ab, ex se sunt exclusiue termini a quo, regulariter loquendo, vt notant quamplures scriptores, varios ad id casus inducentes, quos adducit Barbosa de Dictionibus, Dictione 1. num. 1. Pro quo & videri potest P. Quintanad. Tomo 1. in Appendice Tractat. 8. Dub. 5. num. 1. qui num. 2. affirmat secus dicendum quando de fauore aliquo agitur: quod tamen in casu nostro non habet locum; cum potius in significatione exclusiua fauor contineatur.

Dico secundò. Factâ computatione modo dicto, non debet ita labi nouennium, vt nihil ex eo ad Congregationis celebrationem assumatur. Si enim sic transeat, quod postea fluit, non ad nouennium, sed ad decennium spectat. Sufficiet autem vt vel dies vnus ex nouennio assumatur: iam enim verificatur Congregationem celebrari in nouennio, licet pars aliqua decennij adnexa sit. Cum enim de fauore agatur, talis interpretatio potest verosimiliter vituari, iuxta superius dicta

54 Dico tertio. Vt omnis controuersiarum amputetur occasio, nouennium ita computandum est, vt a die inchoatæ Congregationis octo anni numerentur, & nono currente intra

illius spatium Congregatio penitus habeatur nisi aliud ex vsu constet, aut ex declaratione Pontificiæ mentis suffragetur. Et quidem Pontifex in hoc secutus videtur id, quod in secunda fuerat Congregatione tractatum: in cuius Decreto 19. habetur B. Franciscum Borgiam in eadem electum Generalem, censuisse generalem Congregationem septimo quoque anno celebrandam, cuius sententiam secuta Congregatio: hoc addito, quod si maior pars Prouincialium in septimo anno iudicaret resgraues non occurrere, quæ tractari in Congregatione debeant, differri possit in biennijuita vt nono quoque anno adsummum debeat celebrari. Sed intercessum est, & intercessio obrinuit, ne vllum certum tempus præferebatur: sed tertio quoque anno veniant simul ex omnibus prouincijs Procuratores, iuxta quorū id est sententiam definiendū. Quod & Decreto 7. Congreg. 4. habetur constitutum. Quod ergo de nouennio Congregationi visum fuerat ante intercessionem, & B. Francisco probatum, visum est & Pontifici, suoque Decreto stabiluit. Sicut igitur id ita visum, pariter etiam videtur computatio temporis facienda: vnde non aliter circa nouennium, quàm circa triennium habenda ratio illius est, de quo dicitur: Sed tertio quoque anno veniant, &c. Quod quidem non ita fit, vt elapso biennio intra tertij anni spatium Congregatio habeatur: sed triennio transacto, die immediatè sequenti debet inchoari. Sic enim constat ex Formula Congregationis huius Cap. 1. num. 1. vbi sic dicitur: Tertio quoque anno a decimâ quintâ die Nouembris post finem ultimæ Congregationis generalis computando, ex omnibus Prouincijs, iuxta Congregationes & Decreta, ad Generalem conueniam Procuratores, &c. Et inferius. Tempus enim huius Congregationis, dies ipse quintus decimus Nouembris decretus est, nisi aliud Generali videatur. Sic ibi. Iuxta quæ id habetur, quod diximus. Sicut etiam computationem non ita fieri, vt Congregationi aliquis saltem dies triennij debeat assignari. Videtur ergo pro Nouennio Congregationis generalis idem sufficere: impleri scilicet Pontificiam voluntatem, si elapso nouennio, die immediato Congregatio inchoetur. Quod licet non sit Assertioni secundæ conforme, sustineri verosimiliter potest, & mihi pro praxi securum apparet: licet ad controuersiarum, vt dixi, occasiones amputandas, dicto in Assertionem tertiam ritu procedendum videatur. Triennium enim disponere pro libitu Societas potuit, nouennium autem iuxta Pontificiam est voluntatem regulandum.

Iuxta id quod in Congregatione 2. v. sum Patribus, suum Pontifex Decretum confirmauit.

In nouennio eadem quæ in triennio Congregationis Præcuratorum habenda.

Decretum circa Congregationem dictam.

§. IV.

Novorum Assistentium in Congregatione eligendorum obligatio.

55 His illa verbis declaratur: Præterea vt quotiescumque habeatur & celebrabitur Congregatio Generalis huiusmodi, toties noui Assistentes, ab illis planè diuersi, qui præcedenti nouennio Assistentium huiusmodi muneribus functi fuerunt, eligi, seu assumi, & deputari. Circa quæ dubium occurrit an si Congregatio Generalis ante nouennium celebraretur, vt annis proximis accidit occasio-

ne

ne mortis Generalium, noui debeant Assistentes eligi omnino a præcedentibus diuersi. Circa quod

Assertio 1. In Congregatione antequam nouennium non deberi Assistentes nouos eligi attentè Constitutions verbis.

Particula huiusmodi diuis.

Ratio vrgens.

Ratione notitia non est necessaria eorumdem Assistentium electio, aut confirmatio.

Formula Congregationis circa peculiarem casum dissolutionis.

Quid nuper factum: pro quo & ratio.

Dico primò. Attento tenore verborum Constitutionis, satis verosimile apparet non esse talem obligationem: duo enim in illis habentur, quibus res videtur reddi manifesta. Primum; quia toties eligendi dicuntur, quoties Congregatio habenda & celebranda sit, additâ particulâ huiusmodi, scilicet, quoties Congregatio huiusmodi. Est autem illa limitatiua eius ad quod refertur, & illius exprimens qualitates: vt tradunt Doctores, quos adducit, & adducere multò plures poterat P. Quintanad. Tomo 1. Tractat. 3. Singulari. 17. num. 4. Cum ergo de Congregatione generali sermo præcesserit, non quacumque, sed post nouennium celebrandâ, de illâ est intelligenda dispositio, & non de aliâ. Secundum est: quia nouennium prorsus expressum verbis illis: Ab illis planè diuersi, qui præcedenti nouennio, &c. Deinde est ratio vrgens: nam assistentibus non est triennium, sicut aliis gubernatione fungentibus assignatum, eò quod ad gubernationem totius Societatis, specialiter rerum, locorum, & personarum notitia requiratur; quæ quidem per triennium vix habetur, vnde ulterius debuit spatium assignari, & ita a Pontifice nouennale omnino est conueniens iudicatum: ergo Congregatione multò ante nouennium habitâ, non debet de Pontificia voluntate præsumi ad nouorum Assistentium electionem adigere contendisse. Et ita factum in Congregatione 9. cap. P. Franciscum Arinatum Assistentem Galliar, & in decimâ circa Pater Goswinum Nickel, modò Generalem.

56 Quod autem de notitia dictum est, quæ breui nequit tempore conuenienter haberi, videtur ostendere non debere nouam Assistentium electionem fieri nouennio non exacto, si electi progredi commodè in officio possint, aut saltem eorumdem iterandam electionem. Sed reuerà non ita probat vt necessaria electio sit, sed solam indicat conuenientiam. Et quidem eximiam, si alia non desint, vt non sit verosimile voluisse Pontificem oppositum stabilire. Possunt ergo & debent Assistentes ante nouennium eligi, quando Congregatio ad electionem Generalis habeatur. Quod & fieri posse etiam quando Generalis statim post electionem tum tuam, tum Assistentium moritur, habetur in Formulâ Congregationis Generalis, §. 53. Nouo enim in Generali electo sic statuitur: Post electionem verò non erit opus eligere nouos Assistentes &c. Quod si intelligendum est, vt integrum Congregationi sit, vel nouos eligere, vel antiquos confirmare. Sic ibi, & quia leuioris videtur animi, id quod dudum post maturam est deliberationem conueniens iudicatum, nullâ vrgenti ratione mutare, in Congregatione Decima, in quâ casus prædictus accidit, morte R. P. Alexandri Gottifredi in eadem Congregatione electi Generalis, iidem qui nuper fuerant Assistentes, a Congregatione confirmati sunt, vt habetur Decreto 57. in quo tamen additur id factum, patris admodum dissidentibus, qui nouos eligendos censuerunt. Quod quidem ex leuitate animi in viris tantis accidisse non est æquum suspicari: sed ex eo quod illi in electione alijs suo suffragio forsitan adhez-

Theſauri Indici Tom. II.

issent, quos nouâ electione promouendos sibi ob nouas aliquas coniecturas poterant polliceri: vel quia pro nouo Generali electorum aliqui minus apti videbantur.

57 Dico secundò. Licet attento tenore verborum Constitutionis, & stantibus Pontificij beneplaciti coniecturis, sit omnino verosimile quod diximus, non ita tamen est, vt Assistentes ultra nouennium debeant in officio permanere. Nouennio ergo exacto alij assumi debent, iuxta id, quod in Constitutionibus habetur Parte 8. Cap. 5. §. 4. & in Formulâ Congregationis Generalis, §. 85. Id probor: quia mens Pontificis est, vt munera ista honorifica pluribus fiant communia, vt ex tenore Constitutionis constat: vnde Assistentes superioribus æquat portione seruata: & sicut hos non patitur ultra triennium progredi, quomocumque illud continuetur; ita credendus est de nouennio illorum voluisse, & certè in illis maior videtur ratio, eò quod munus illud suprâ omnia alia honorificum habeatur. Vnde Clemens VIII. in Congregatione 5. Generali iussit tres Assistentes, Italæ scilicet, Hispaniæ, & Lusitaniæ mutari, propterea quòd diu nimis in eo officio perdurarent: quod & ita factum, vt constat ex Decreto 73. 74. & 77. licet de eo a Congregatione fuerit supplicatum: pro quo in Decreto 74. Vbi obseruatione dignum occurrit, tres illos Assistentes, quos mutandos Pontifex voluit, non fuisse in præcedenti Congregatione electos, sed in eadem ipsâ quintâ Congregatione, vt patet ex illius Decreto 1. Erant autem P. Benedictus Palmius, Italæ; P. Ægidius Consaluius, Hispaniæ; P. Petrus Fontleca, Lusitaniæ. Sed quia in Congregatione tertîâ electi fuerant, & P. Benedictus Palmius, etiam B. Francisci Borgiæ aliquandiu Assistentis fuerat, vt constat ex Decreto 17. Congregationis tertîæ; visum est Pontifici non expedire, vt iterum eodem munere fungerentur: ergo id in continuatâ functione muneris eiusdem minus videtur expedire, & ita Pontificiæ magis aduersum voluntati.

Assertio 2. Assistentes ultra nouennium non posse in officio perdurare.

Clemens VIII. iussit circa Assistentium remotionem.

Assertio 3. officium Assistentium continuari non posse.

58 Dico tertio. Si de Pontificis mente verosimilis habeatur coniectura, vt non videatur continuationem dictam improbare, cum alioquin obligatio dicta non sit adeò explorata, procedi in eo sine conscientie remorsu poterit. Videtur autem non parum congruere, vt in rebus istis cum prouidâ moderatione ab ijs, qui gubernationi Societatis præpositi fuerint, procedatur; ne ad Pontificis aures querelæ aliquorum inofficiorum perueniant, & sic societas, cui turbellæ istæ nimis incommodare possunt, molestis iterum sollicitudinibus implicetur.

§. V.

Circa triennium superiorum qualis vigeat obligatio.

59 Pro illo habetur sic: Per triennium tantum durare debeant, eoque elapso triennio, eo ipso vacent, & vacare censeantur, &c. Vbi difficultates aliquot occurrunt. Prima, an si triennio aliquid desit, quæuis interruptio sufficiat, quæ est cum alijs circa vacationis spatium discutienda.

Difficultates circa triennium pro vacationibus.

Secunda, An vacatio futura ſit computando triennium de momento ad momentum. Tertia, An ſit aliquis caſus, in quo diſpoſitio prædicta non currat. Quarta, Vtrum ſi triennium non in eodem officio nihilominus vacationis præceptum vigeat. Quinta, An computatio à poſſeſſione officij, vel à designatione ſumenda ſit. Circa quas

*Aſſertio 1. Compentiſſimè de momento ad momentum non vrgere: & qualis ſufficiat.*

Dico primò. Satis verofimile eſt computationem non eſſe faciendam de momento ad momentum. Id probo ex dictis. *numer. 32. & 33.* juxta quæ dies, à quo incipit currere tempus designatum, non computatur. Juxta datam ſcilicet ibidem explicationem; quòd non computetur eò quòd integer non ſit: vnde ſi integer fuerit, aliter eſt dicendum: ſi videlicet à media nocte decurrerit: tunc enim nulla eſt verofimilis ratio cur non debeat computari. Alio etiam modo explicari poteſt, ſupponendo, vt modò dictum eſt, non inchoari tempus à media nocte, ſed ab aliquâ horâ diei: tunc enim hora ſimilis reſponderet in termino, in quo triennium mathematicè completur: at non eſt ita materialiter computandum, ſed moraliter, quia totus ille dies computatur vt terminus ſpatij; quia non eſt credibile legiſlatorem velle ita rigorosè & delicatè agere, vt horæ ſint minutius obſeruandæ. Quâ ratione conſent aliqui implentem vigefimum primum annum, à quo incipit obligatio jeiunandi non teneri jeiunare eo die, quo atas dicta completur, etiamſi manè compleatur. Pro quo videri poteſt Diana *Parte 1. Tract. 9. Reſolut. 49.* Eſt item pro eodem ſententia alia Doctõrum aſſerentium eum, qui tali die implet viginti quatuor annos, non poſſe in eodem ordinari, bene tamen in ſequenti. Cujus ratio eſt: quia pars illa diei ad eundem diem pertinet, vnde vigefimus quintus annus ad Ordinem requiſitus non videtur inchoatus, & ita mediæ noctis tranſcurſus expectandus. Sic P. Thomas Sancius *Lib. 7. Conſil. Dub. 33. n. 7.* Diana *Parte 5. Tr. 5. Reſol. 17.* & alij.

*Ex obligatione jeiunij probatio.*

*Alia ex etate ad Ordines.*

*Ex intentione veroſimiliter præſumpta Pontificis.*

60 Deinde argui poteſt. Quia non alia eſſe videtur Pontificis intentio, pro cuius implemento nihil reſert talis modus computationis. Cùm enim tantum velit gubernationem non protendi, & locum multis eſſe in illâ; nihil profectò ad hoc intereſt hoc aut illo modo triennium computari, quando in diuerſitate computationis adeò breue ſpatium intercedit. Intentionem legiſlatoris attendendam ſæpiùs diximus & juxta debere interpretationem fieri. *Lex eſt quidquid in ratione conſiſtit.* Cap. *Conſuetudo. Diſt. 1.* Pro quo videri poteſt P. Suarez *Lib. 6. de legibus Cap. 5. numer. 5. & ſeqq.* Juxta quæ excuſandus venit Provincialis quidam, qui cùm horâ decimâ antemeridianâ triennium, de momento ad momentum computatione facta compleuiſſet, circa aliqua occupatus, quæ ad renuntiandum ſucceſſorem pertinebant, aliquantum progreſſus eſt. Sicut etiam excuſari poterunt Superiores, quibus vacationis nuntium inopinatum accidit: potuerunt enim eo die aliqua diſponere, quæ ad officium ſpectabant, & ſine inconuenienti non poterant in diſpoſita remanere. Vacationem enim ita acceleratam, & inconuenientibus plenam, non eſt credibile Pontificem voſuiſſe.

*Quorumdam excuſatio ex ratione dicta.*

*Aſſertio 2. Caſus ſpe-*

61 Dico ſecundò. Dari caſus poteſt, in quo diſpoſitio prædicta non currat. Id poteſt oſtendi in Indiis, ſi vacatio innotefcat, nec tamen ſit Superior à Generali designatus: non enim dominus debet ſine Superiori relinqui, neque illud poteſt de Pontificis voluntate præſumi. Nec dici poteſt Superiorem vacationi obnoxium poſſe vice ſui alium nominare: ſi enim per notitiam vacationis ceſſauit, nequit actum Superiori proprium exercere. Neque etiam dici poteſt per Epikeiam illud poſſe, & iuriſdictionem eius vſque ad nominationem non expirare. Quia iuriſdictionem talem, ſi verè ceſſatio eſt futura, Pontifex non conſert, & Superior ſupremus nequit contra Pontificis concedere voluntatem. Si ergo Epikeiæ locus eſt futurus, id potiùs dicendum, quòd Aſſertione ſtatuis, Conſtitutionem inquam eo in caſu non obligare. Videatur P. Suarez *ſupra Cap. 7. numer. 10.* cuius doctrinam alij plures amplexi: quòd ſcilicet præceptum legis non obliget, quando boni communis ratio contrarium poſtulat; etiamſi poſſit ſine peccato adimpleri: pro quo exempla adducit *numer. 9.* Non videtur autem improbabile poſſe vice ſui aliquem nominare: non quidem vices habiturum eius, in rigore loquendo, quandoquidem ordinariâ eſt poteſtate deſtitutus, & ita Vicarium habere nequit, ſed in latiori ſignificatione: qui ſcilicet locum eius ſuppleat, dum alius prouidetur. Et hoc quidem ex præſumptâ Superioris eius facultate, ad quem ſpectat prouiſio: quòd quidem ſtare ſine iuriſdictione poteſt, miniſterialiter tantum, licet cum arbitrio. Sicut Generalis committere alicui poteſt omnino priuatè vt eum, qui ſibi benè viſus fuerit, Superiorem nominet, non ſuo, ſed Generalis nomine. Poteſt autem voluntas iſta præſumi: quia ad Superiorem ſpectat ſucceſſorem ſibi in officio conſtituere, quando à maiori non eſt Præſolato designatus, vt vicariam ſcilicet domus curam habeat. Sic enim habetur *Decreto 20. & Canone 3. Congregat. 8.* Ergo pro caſu ſpeciali, in quo vacatio accidit, ita etiam conſiderandum, & ita poſſet generali lege ſanciri: hic enim caſus in Conſtitutionibus, & Congregationum, aut Generalium Ordinationibus non occurrit, cùm tamen poſſit non ſemel occurrere.

62 Dico tertio. Triennium continuatum in officiis, de quibus agit Pontifex, etiamſi illa diuerſa ſint, nequit ſine violatione Conſtitutionis Pontificiæ prorogari. Probatur ex praxi ſic indubitatè procedente. Deinde, ex intentione Pontificis in eadem expreſſæ, quæ quidem per contrariam intelligentiam poſſet penitus elidi: ſi videlicet quis in diuerſis occuparetur muneribus, in quorum nullo triennium expleret. Item. Tenor ipſe Conſtitutionis id continet, dum ſic dicitur: *In eorum reſpectu muneribus. Et officiis prædictis per triennium dumtaxat durare debeant.* Atqui duo officia continuatè ſuſtinens, ſi vltra triennium adminiſtrationem extendat, non poteſt verificari quòd in illis per triennium tantum duret: ergo contra tenorem Conſtitutionis delinquit.

63 Dico quarto. Triennij computatio non eſt faciendâ à die poſſeſſionis, ſed eo modo, quo faciendâ decernit Congregatio 8. *Decreto 43.* in quo ſic dicitur: *Statuſ Congregatio officium & auctoritatem Superiorum localium, atque adeò triennium præſertur definitum, inchoari à die authentice renuntiationis ipſorum in Collegio, vel Domo, quibus præſentantur.*

*ciatis in quo diſpoſitio Pontificia non currit.*

*Nota de doctrina pro depulſione obligationis, cum bonis commune aliud poſſulat.*

*Probabilis poſitio circa nominationem ſucceſſoris.*

*Aſſertio 3. Triennium in diuerſis officiis non poſſe prorogari.*

*Aſſertio 4. Triennium quando inchoatur.*

*Congregatio 8.*

*Congregatio 9.*

*De localibus tantum Superioribus Decretis procedunt & quare.*

*In Majoribus difficultatem perſtare.*

*Provincialium renuntiationis qualis ſit.*

*Qualis etiam Viſitatorum.*

præſentantur: ſive ipſi præſentes ſint, ſive abſentes. Pro eodem eſt *Decreto 10. Congregationis 9.* ſic ſe habens: *Decreto 43. Seſſionis 116. Congregationis 8.* intelligendum eſt de ordinaria Superiorum renuntiatione. In caſibus vero extraordinariis, cum res vrget, & in loco ubi præſentandus eſt Superior fieri renuntiatione non poteſt, ob impedimentum belli v. g. vel peſtilentiæ: decreuit Congregatio ſatis eſſe, ſi ſit in loco, ubi maior pars ſubditorum fuerit; vel, ſi id etiam nequeat, in eo, quem Provincialis aptiorem iudicauerit. Sic ibi. Circa quæ Decreta obſeruandum in primis eſt illa de Superioribus tantum localibus procedere, & non de maioribus Prælatibus, viſitatoribus inquam & Provincialibus. Quòd quidem propter eam ſic factum videtur, quia in illis inchoatio officij cum poſſeſſione ſolet eſſe coniuncta, dum ſcilicet patentes litteræ leguntur, & ſic ſunt Provincialibus manifeſta.

64 Sed certè erga illos etiam eſſe difficultas poteſt, quia aliquando designatus Provincialis extra Prouinciam verſatur, & à R. P. Generali ad Prouincialem prædeceſſorem de eo ſcribitur, vnde & authentice renuntiat; quia authentica renuntiatione eſt, quæ ex authentico R. P. Generalis ſcripto officij ſigillo munito, fundamentum indubitabile deſumit. Sic enim authentica renuntiatione eſt, quæ ex Provincialis præſcripto ſit in Collegio aut Domo designati Reſtoris, aut Præpoſiti: quæ quidem minoris auctoritatis eſt quam ea, quæ per Generalis litteras & ſigillum, dictum retinet fundamentum. Cùm ergo eadem circa illis ratio ſit, non videtur circa hoc rei exigentiâ prouiſum: neque apparet cauſa, propter quam de ſolis Superioribus localibus fuerit exordium deſinitum. Ad quòd quidem illud occurrit, per quòd poſſit difficultati verofimiliter reſponderi. Cùm Prouincialium prouiſio ſit, renuntiationem authenticam non eſſe reputandam eam notitiam, quam Prouincialis litteris acceptis communicat, quia illi deſicit ſubſtantiale requiſitum, quòd ſcilicet auctoritate Generalis fiat, ad quem illa ſpecialiter ſpectat. Licet enim notitia designationis per eiuſdem litteras habeatur: non vult ille tamen eam ſuo nomine Prouincia communicari, vt pro authentica debeat haberi. Ad hoc enim vt authentica renuntiatione ſit, poteſt illi ſolemnitatem aliquam ſpecialem exigere, quæ ſuprà notitiam ſit, juxta mentem Congregationis, quæ ad authenticam renuntiationem non quamlibet notitiam, etiam auctoritate Prouincialis communicatam, ſufficientem eſſe voluit, ſed ſpecialius aliquid ſuis decretis requiſiuit. Eſt autem ſpecialis illa ſolemnitas, parentium litterarum apertio & publica lectio: vel, ſi non legantur: quòd tamen omnino expedire iudico, notificatio ab eo facta, ad quem ſpectat, ſecundum conſuetudinem Societatis. Et hoc quidem poterat in prædicto Decreto apponi: non autem factum, quia ad R. P. Generalis prouidentiam Congregatio cenſuit pertinere.

65 Quòd etiam circa Viſitatores dicendum: tunc enim eorum officium inchoatur, quando R. P. Generali viſum fuerit. Eſt autem pro eo à R. P. Generali Claudio Aquauina ſit prouiſum, vt Inſtructionis eius *s. 15.* oſtendit, in quo ſic habetur: *Incipit viſitationem ab eâ Domo, vel Collegio, in quo ſit præſentatus.*

*Theſauri Indici Tom. II.*

legio, quòd ratione neceſſitatis, aut commoditatis videretur præferendum: & ubi ſui aduentus rationem in communi omnium conuenit reddiderit, litteræ que patentes exhibuerit, omnes ad perfectionis ſtudium, & ſpiritus renouationem hortetur. Sic ille. Non eſt ergo neceſſarium vt Provinciali ſe præſentet, & commiſſionis ſuæ copiam faciat, ſi fortè ille ab eo abſit loco, vnde inchoandam viſitationem iudicauerit. Quòd ſi in loco Prouinciæ præcipuo patentes litteras exhibuerit, non eſt neceſſarium, vt eas omnibus in Collegiis aut Domibus manifeſtet, cùm ex manifeſtatione prædictâ iam ſit eius iuriſdictione notoria, vnde ceſſat communis illa doctrina de obligatione oſtendendi litteras commiſſionis in Delegato, alioqui poterit impunè non ipſi pareri: quæ tantum habet locum, quando iuriſdictione non eſt notoria, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum quòd ad obligationem generaliter ſpectat *Tom. 2. Lib. 4. Cap. 1. v. præſertim numer. 22. & ſeqq.* & quòd illam item cum limitatione prædictâ apud P. Thomam Sancium *Lib. 6. Conſiliorum Cap. 9. Dub. 4.* Quamuis autem neceſſarium non ſit, videtur tamen magis Inſtructioni conforme, vt patentes litteræ vbicumque viſitatio fuerit inſtituenda legantur, vt eam exhortatio præſata ſequatur. Sed hoc ad negotium præſens parum reſert, vbi ſolum de viſitationis inchoatione tractamus, de quâ juxta dictam conſtat Inſtructionem.

66 Iam de Superioribus localibus loquendo authentica renuntiatione illa cenſenda eſt, quam diximus, ea ſcilicet, quæ auctoritate Prouincialis ſit juxta formam in Congregationibus præſcriptam. Vbi quidem Prouincialis mentio tantum ſit in caſu ſpeciali, de quo ibi. Videtur autem idem faciendum ſupponi in aliis, quia id eſt iuxta morè Societatis, in quâ Prouinciales ſolent Superiores locales publicare. Nihilominus ſi alicui patentes litteræ Generalis traditæ ſint, quibus Superior designatur, & eas ille in Collegium ſeu Domum ſuæ curæ tranſmittat, authentica erit renuntiatione: vel ſi earum copiam eo modo, quo fidem plenè facere poſſunt. Quòd poteſt accidere, ſi quis nolit tempus Præſaturæ ſibi à poſſeſſione inchoari, eò quòd moleſtum illi onus gubernationis appareat, & ita portionem illam, quæ ad poſſeſſionem vſque decurrit, demptam velit, cùm non valeat ad iter ſe ſtatim expedire.

67 Non videtur autem authentica renuntiatione, ſi Prouincialis ad Collegium vel Domum ſcribat de Superiore designato, ſi ipſe nolit notificationem talem pro authentica renuntiatione haberi. Quia cùm Congregatio formam præſcribens circa id, per quòd authentica haberi renuntiatione debeat, nihil præſcribat, arbitrio hoc Prouincialium videtur fuiſſe remiſſum, ſeu etiam Viſitatorum, ita enim illi munus designationis aſſumunt, niſi fortè in eo metas ſuæ iuriſdictionis excedant, bonâ quidem procedendo ſide, & patientiâ Prouincialium largiùs vtentes; ſi non ſpecialem ad id à Generali habeant poteſtatem. Debet ergo renuntiatione ita fieri, vt in ordine ad effectum, de quo agimus, dirigatur, vt ſcilicet inde officium videatur inchoari. Ante notitiam ergo renuntiationis factæ dicto modo nequit designatus Superior vt talem ſe gerere, quia verè talis non eſt. Quòd ſi vt Superior ſe gerat; inde

*Inſtructio R. P. Claudio Agnini.*

*Qua ſit dicenda re-nuntiatione authentica pro Superioribus localibus.*

*Qua non authentica videtur.*